



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

CXIII. Judas Machabæus, Gentis Hebrææ Archistratégus, Poliorcetes,
Religionis Defensor, Patriæ Servator.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

collegit, & Syris ac Græcis, infestus pariter & invictus, restitit. Imprimis verò Mosaicæ religionis transfugas, ac populi turbatores armis infectabatur, & in arctum compactos flammis absumebat. Longum esset illius omnia prælia, velitationesque, quibus Antiochi legatos ac Duces exagitavit, exponere. Quare pugnas duntaxat eas referemus, quæ potissimum eminentes, nomen ejus barbaris formidabile, civibus gloriosum reddiderunt.

NARRATIO CXIII.

JUDAS MACHABÆUS,
GENTIS HEBRÆÆ ARCHISTRATEGUS, POLIORCETES, RELIGIONIS DEFENSOR, PATRIÆ SERVATOR.

Ex libris Machabæorum.

Anno M. 3889. ante Christum 164. ad annum
3894. ante Christum 159,

Felix gladius, qui suam aciem è cœlo ducit. *Judas* cognomento *Machabæus* paternæ virtutis æmulus, primo per insidias; deinde apertò bello Syros persecutus, trium regum *Antiochi* Epiphanis, *Antiochi* Eupatoris, & *Demetrii*; Duces militares *Apollonium*, *Seronem*, *Lysiam*, *Gorgiam*, *Nicanorem*, *Timotheum*, *Bacchidem*, aliòsque (præter intestinos hostes,

ites, cives perfidos) cum ingentibus copijs fudit, Solymam recepit, templum repurgavit, edidit facinora, quæ Romanum foedus meruerunt.

Confluxit igitur cum *Apollonio* Samariæ præfecto; quem cum Syrorum insigni clade stravit, interfecit, armis exuit; ablato quoque, cujus ille bonitate tumuerat, gladiò; quò posthac in omnibus proelijs Machabæus usus est. Suffectum ab Epiphane *Seronem*, ducem & ipsum belli scientissimum non minus pepulit, ac fugavit. Exinde *Lysias* (qui Antiochiæ, loco Regis Antiochi, in Persas interea motus, regnum administrabat] *Nicanorem*, & *Gorgiam*] qui *Bacchidem* & *Timotheum* sibi adjunxere] in Iudæam immisit, tantâ victoriæ reportandæ confidentiâ, ut mercatores maximò numerò in castra vocarentur, qui Iudæorum bellò capiendorum, in singula capita vili pretiò repensò multitudinem innumerabilem commercarentur. Verùm ubi ad manus ventum est; res *Iudæ* superior fuit. Fugatur *Nicanor*: cæduntur *Nicanoris* militum in acie millia novem, in fuga tria. Capiuntur, qui captivos emptum venerant, mercatores; & pecuniâ, pretiòque mancipiorum, quæ nusquam erant, exuuntur. Paulò post *Gorgiam* quoque vicit; & *Bacchidem* ac *Timotheum* in fugam vertit: Syrorumque viginti cæsis in proelio millibus, castella quædam capit opere, situque loci munitissima: *Nicanore* tantisper ingloriò, ad *Lysiam* stomachantem refugiente. Machabæus inter hæc suorum è numero, qui vix septem millium erant, neminem unum desiderabat. Sub hæc autem, ipso præliorum successu juventutem ad armorum audaciam invitante, Ma-

habæana crescebat militiæ robur : ut adeò brevi de-
cem jam millium fortissimorum eorùmque volun-
tariorum robur adstaret.

Lysias verò diffus Legatorum suorum seu mag-
nanimitati, seu solertiæ ; constituit ipse belli fortu-
nam experiri. Quocirca sexaginta millia pede-
strum, & equestrium quinque millia, lectissimorum
militum exercitum contrahit, & in Judæam irrum-
pit. Ad *Bethoronem Gabaoni* vicinam urbem pugna-
vit: in qua Judas decem millibus suorum in aciem
contra sexaginta quinque millia barbarorum edu-
ctis ; eorum quinque millia velociter concidit ; re-
liqua cædi sexaginta millia profligat: Lysiamque co-
git Antiochiam, ac nova seu belli, seu pacis consilia
repetere. Judæi verò propinquam prælii loco Je-
rosolymam, victores ingressi, Templi plùs quàm
semirutæ faciem horridam, squalentiâque virgultis
atria, totùmque locum sterquilinio, quàm ædi su-
premi Numinis, similiorem intuentur. Pariter er-
go medias inter victoriæ gratulationes in lacrymas
ac lamenta solvuntur. Ad instaurandam deinde
loci sanctitatem conversi, sordibus eum purgant, Jo-
vis simulacrum confringunt ; temploque suis riti-
bus expiatò, denuòque dedicatò, Sacrorum sedi me-
liorem faciem inducunt: turres ac munitionem il-
lico, validissimò militum præsidio constituunt, ad
templi Majestatem, in reliquum tempus, adversùs
arcis Sionæ præfidiarios Syros tutandam.

Cùm subinde *Timotheus* iterum (Antiochiæ impe-
rante *Antiocho Eupatore*, Epiphaniis filio, cui cogno-
mentum *Generosi* assentator Lysias imposuit) magna
eum armatorum multitudine Judæam invasisset ;

confugit ad ea Machabæus, ad quæ solebat, in omnibus belli sacri pugnis, præsidia: quæ preces erant ac supplicationes, ab omnibus, armatis pariter & inermibus ad DEUM fusæ. Quibus addebat animi, corporisque religiosam demissionem, cinere conspersis omnium capitibus; ac cilicina veste cinctis super nuda cute lumbis. Tenebat autem in templo palam supplicans altaris cornu, poscentibusque militiæ *tesseram*, AUXILIUM DEI, dabat; & ad fortiter faciendum inflammabat animos vocem quâ suâ, quâ divinorum librorum, qui coram multitudine recitabantur. Nec mirandum est, Deum cum illis stetisse, qui cum DEO, pro causa DEI stare, rebus omnibus anteferrent. Is igitur pugnam cum Timotheo commissâ, cum ferveret utrinque prælium, in neutram partem inclinante certaminis fortunâ, sublatis in cœlum tesserae datæ vocibus, cum milite cœpit AUXILIUM inclamare DEI. Nec dilatum diutius est, quod petebatur. Medio namque conflictûs ardore, quinque cœlo demissis Juvenes, sese Judæis pariter & hostibus spectandos obijciunt, equestres, & formâ fulgorisque conspicui quorum erant ex auro fræna. Machabæanum hæc ducebant exercitum, ita tamen, ut eorum tres aciem antecederent: duo verò Iudam utrinque stipatum, armisque cœlestibus defensum, incolumemque præstarent, & à telis hostilibus intactum. E contrario barbaros incussis eminus, cominusque jaculis ignitis, intortisque fulminibus exanimant, & intolerabili splendoris, ex eorum vultibus & armis emicantis magnitudine tantopere percellunt, ut & oculis, & mente capti, formidineque plusquam Pa-

nica trémentes conciderent, ac ne fugæ quidem factis viam, exitumque reperirent. Cæsa sunt viginti millia, quingentique peditum: equestris verò militiæ (quæ se more suo maturius à cornibus legionum abruperat) sexcenti; *Timothei, Chareæ, Apollonophanis* abscissa capita, barbaris ostentui, terrorique fuerunt.

Quibus rebus *Lysias* cognitis, ac tantis suorum cladibus, impendiisque, nullo belli successu, vehementissimè commotus; novum, eumque quam maximum è Syria contrahit exercitum, Judæorumque finibus inducit; peditatus hostium erant octoginta millia; de numero equitatus nihil certi constat. His occursum *Machabæus*, ad lacrymas convertitur, populique supplicationes; efflagitatur subsidiaria de cælo manus: nominatim angelorum rursus auxilium, ac præsentia. Nec minore, quam antehac successu. Agmen in hostes armatum ducebat *Judas*; magis autem *Angelus*, equitis habitu non copias modò *Machabæi*, sed ipsum quoque *Ducem* antecedens: amictu quidem cætera candido; sed armis, thorace, galeâ penitus aureis; auratamque dextrâ lanceam in hostes quatiens. Cujus aspectu *Machabæani* (qui tesseram etiam tunc acceperant **AUXILIUM DEI**) mentium alacritate plusquam humanâ succensi, leonibusque similes, in *Lysianos* irruunt. Primòque ferè certaminis impetu victoriam orsi, cædendi finem non prius faciunt, quam undecim Syrorum millibus è peditatu, sexcentis equitibus supra mille prostratis. Exercitum reliquum maxima sui parte vulneribus debilitatum, & impedimentis ac castris exutum profligant: abje-

Etis que passim armis, salutem è fuga petere compellunt. Ac Timothei quidem, unius è primis Lysias ducibus (diversi ab illo superiore) milites in fanum quoddam sese receperunt; Lysias autem ipse cœda præcipiti que fugâ Syriam, quam se triumphantem speraverat ingressurum, repetebat. Nec diu post abjecta spe debellandi Judæos, cœdus cum ijs iniit, auctoritate regis confirmatum. Sed hæc pax paucorum mensum fuit, eam turbante maximè Timotheo, qui nuper ultra Jordanem ablatus fugâ, reparavit exercitum, centum viginti millium pedum, equitumque bis mille, quingentorum, & contra Machabæi non plus sex millium copias (nam partem militum Iudas ducibus *Dositheo & Sosipatro* commiserat ad validissimum Timotheanorum præsidium expugnandum) movit. Re ad prælij fortunam deducta, Judæ præcurrunt antesignani: conspicitur à Thimotheanis cœlestium Militum unus quidam majestate vultûs & habitûs cæteris, qui circum ipsum erant, eminentior, fulgorisque sui vehementiâ divinum quid præ se ferens; ideoque terrorem longè maximum plerisque barbarorum, etiam audacissimis, incutiens. Unde fiebat, ut in se ipsos mutuò versis telis, ensibusque, Machabæorum eos trucidantium manus vulneribus ac cædibus alternis adjuvarent, cum triginta millium Timotheanorum occidione. Dux ipse captus, & in certas conditiones dimissus.

Cæterum, quia perfidos nunquam caussa bellandi deficit, Lysias insuper habitis pactis & conventis cum gente Hebræa, Regem Eupátorem instigat ad bellum cum Iudæis renovandum. Is cum decem
& cen-

& centum peditum, viginti equitum millibus: tur-
 ritis elephantis triginta duobus, quadrigis falcatis
 trecentis Ierofolymam petit. Cui sese Iudas cum
 parva suorum manu opponens, cum videret teme-
 rarium esse, contra tantas copias aperto Marte di-
 micare, nocturnam occupavit pugnam, in qua vi-
 rorum quatuor millia interfecit. Eam sive cladem,
 sive contumeliam Rex in autores refusurus, non ip-
 se modò furore percitus in Iudam movit, sed bellu-
 as quoque efferari volebat, vino & mororum suc-
 co potatas. Singulis elephantorum milleni præ-
 rant pedites, equites quingenti; tanto armorum
 apparatu, ut sole radios in clypeos aureos, æreos-
 que vibrante, vicini colles resplenderent. Non
 cecidit animis Iudas; iterum cum hoste confligit.
 quo in conflictu occubuerunt è Syris sexcenti auda-
 cissimi quique, cæsi Ducis Machabæi decus exop-
 tantes incassum. In illo incurso *Eleazarus*, Iudæ
 frater, elephantem conspicatus, cæteris & habitu-
 dine molis, & apparatu turris ac propugnatorum
 eminentiorem; iisque signis in eam inductus suspi-
 cionem, ut crederet ei Regem insidere: viâ ferro
 per obstantes factâ, multisque dextrorsum, lævor-
 sumque trucidatis, alvû belluæ subjês, impresso visce-
 ribus gladiò, puncto temporis eam stravit. Sed
 prolabentis pondere pariter & ipse superoppressus
 occubuit; gloriæ fortitudinisque suæ dignò compri-
 mis tumulò contactus, elephantò, sua manu deje-
 ctò: proindeque sepulcro Mausoleis quibusvis, ac
 monumentis eburneis gloriosiore. Iudas verò con-
 siderata innumerabili hostium multitudine, consti-
 tuit supremi certaminis aciem declinare. Rex vi-
 ribus

ribus usus Solymam occupat, Chananitidem, quam latè patet, in potestatem redacturus, nisi intestinis tumultibus Antiochiam revocato, pace cum Iudæis facta, regnum ab infessore tyranno *Philippo* recuperandum fuisset.

Pacis mox foedera rupit *Demetrius*, cognomento *Soter*, Seleuci *Philopatoris* filius, *Eupatoris* patruelis, ejusque inceptor & successor, Hujus imperijs & auspicijs *Nicanor*, homo, si quisquam alius, furiosus Iudæis incubuit, ingenti cum terrore, & coelestis Numinis contemptu. Machabæus, ut suis faceret animos in certamen, somnium enarravit divinitus immissum; quò sibi visum affirmabat *Oniam*, insignem illum virtutibus ac rebus gestis Pontificem, annis abhinc undecim odiò religionis interfectum. Juxta eum *Jeremias* visebatur vates divinus; uterque manibus supplicans pro Iudæicæ gentis incolumitate: posterior aureum insuper gladium visus porrexisset Iudæ cum dictis: caperet gladium divinitus ei dono missum, divinitus quoque factum ad id, & inauguratum, ut strage magna conterantur Israëlites hostes. Quæ dum Iudas suis, alacritate certandi nova inflammatus exponit: Hostis inter hæc, ultro fiducia multitudinis ac virium suarum, non expectato Iudæorum occursum promotis agminibus præstò fit. Adstat acies, ad omnem disposita terrorem. stant ad pugnam instructi, proptereaque grande terroris incrementum, elephantum, fremitu ardore certaminis tot millium exercitus formidabilis. Iudas cum suis DEUM in vota flectere, consuetam AUXILII DIVINI, vel VICTORIÆ DEI tesseram insonare, insolitò quodam præsentia
DEI

DEI sensu perfundi. Vera sensisse, eventus ostendit; Iudæis enim præsidio Numinis & Angelorum, tectis & illæsis Syrorum cæsa, stratæque non minùs triginta quinque millia. Capta direptaque castra; contritæ vires universæ; primus inter omnes cæsus is, qui ferociâ, contemptûque Numinis cæteros antecesserat *Nicanor*. Reliqui, nullo propellente, cum capite se carere cernerent, in pedes sese conijciunt: abjectisque, quò promptior esset, expeditiorque fuga, clypeis ensibusque, quâ cuique tutissima visa, brevissimâque mortis effugiendæ via fuit, illac iter intendunt. Quos tamen Hebræi se segregatim victoribus associantes, à fronte, tergo, lateribus conclusos ita confecerunt; ut ex omni *Nicanoris* expeditione, copiâque, nenuntius quidem cladis oculatus, Regi *Demetrio* superstes relinquere-
tur, *Nicanoris* cadaveri caput, quod lingua sua cælo convitatum erat, amputatum; à trunco simul cum humero brachium (quod adversus DEI Domum minaciter extentum fuerat) resectum; truncus insepultus abjectus, caput & brachium Ierusalem è regione templi in alto suffixum; lingua à palati radicibus revulsâ, minutissimè concisa, in aëris propatulo, quò volucris pabulum esset, proposita; Machabæis tantisper DEO cæli, gratias in templo, chorosque psalmorum agentibus.

Demetrius inter hæc compertô *Nicanoris*, & exercitus ejus interitu necdû furoris in Israëlitas satur, novas adversum Machabæum comparat copias; easque sub *Bacchidis*, & *Alcimi* Iudæi, proditoris, signis ac ductu mittit in Iudæam. Viginti millia pedestris exercitus, equitum duo millia fuere: cum Iudæ

non amplius trium millium cohortes ad manum essent. Ex his tamen ipsis, ad tantæ multitudinis hostilis conspectum exsternatis, cum duo millia ducentique se periculo, pugnaeque subducentes, Iudæ non plures octingentis reliquissent: qui & ipsi formidine perculsi, proelio suaderent abstinendum, quoad novarum accessu copiarum, manum sibi firmiorem compararent; Iudas nihilofecius, quam & ipse nonnullo metu tactus, etiam tunc sibi constitit, ceterosque ad audendum animavit: Concinentibus tubis utrinque conclamatur: tela, manusque conferuntur: ab ortu solis ad occasum ferè viciniam acerrimè dimicatur ab Hebræis octingentis adversum viginti duo barbarorum millia. Nimirum unius Machabæi virtus instar erat multorum millium, qui cum globo fortissimorum in dextrum hostium cornu, ubi prætoriani, & robur exercitus stabant, inVectus, illud cum Bacchide profigavit; quos dum fugientes persequens, terga ferit antecedentium; coorti à tergo, qui sinistrum barbarorum cornu tenebant, cædentium cædunt dorfa, numero suorum, ac totius diei pugna, lassitudinèque laborantium; donec ad extremum cadentibus utrinque compluribus, nec tamen usquam se remittente certaminis ardore, tenebris ingruentibus, sol nocti, virtus multitudini, Iudas vulneribus ac morti, Iudæaque Syriæ succubuit. Quantus in vita Iudas, Hebræorum gloria, fuerit, etiam moriendo ostendit. Cecidit pugnando. Maluit generosè cadere, quam timidè fugere. Satur hostilis sanguinis, suum quoque hauriendum dedit. Suis instratus palmis, suis

suis lauris immortalus est. Non antè timeri desijt, quàm vivere. Unus ipse terror omnium, & formidabile belli fulmen. Ad piorum sedes tunc nobilis Umbra descendit, cum nominis claritas, quò cresceret amplius, non haberet.

NARRATIO CXIV.

ANTIOCHI EPIPHANIS, TETERRIMI TYRANNI, FUNESTUS EXITUS.

Ex lib. 1. Machab. cap. 6. & lib. 2. cap. 9. Anno Mundi 3891. ante Christum 162.

Hunc plerumque finem sortitur superbia; dum nimium tumet, rumpitur. Mortalium omnium, uti memoratum est scelestissimus *Antiochus*, auditis prosperis Iudæ Machabæi successibus; relictis *Ecbatamis* Medorum urbe, cui imminebat, in Syriam, & hinc in Iudæam festinare contendit. Maledictis & execrationibus admiscens minas, iurabat, Ierosolymam se redacturum in sepulcrorum congeriem. Cumque dictis hisce, tanquam ocyus eorum fidem expleturus curram, quo vehebatur agitari celeritate majore juberet agrè comitibus ac peditatu copiarum, properantis impetum assequentibus, res ita, Providentiæ quoque cœlestis intercursum, se tulit; ut belluarum una cæteris elephantis iracundior, in agmine, ferocissimo cum stridore barrieret